



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

De residentia sanctissimorum Episcoporum, & de coadiutore. cap. ix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

vbi litera dicit: Sancta vniuersali synodo approbante sancimus, vt post Romanam ecclesiam, quæ disponente Deo super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra; Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant. & in d. c. videbis multa de Patriarchis. Et Patriarcha quam potestatem habeat, vide Specul. in tit. de dispensa. §. nunc breuiter, & §. sunt quoque. & ibi Bald. in addit. & vide Cardi. in Clemen. in plerisque, de electio. & vide Spec. in tit. de delegat. §. vj. & in tit. de iurisdic. omn. iud. versic. secundum Canones. Et vide Felin. in c. ex literis. de offi. deleg. Et vide Spec. in tit. de appella. §. iij. versic. item non debet. Et nota, quod graduum, & ordinum distributio ecclesiæ unitatem conseruat. cap. ad hoc. lxxxix. dist. Itaque diuersitas ordinum propter maiorem concordiam est statuta. c. licet. il. ij. xlv. dist.

DE RESIDENTIA SANCTISSIMO-

rum Episcoporum, & de coadiutore.

Cap. IX.

S V M M A R I V M.

- 1 Episcopus in sua cathedrali Ecclesia residere debet. & num. 4.
- 2 Vtrum Episcopus votum longæ peregrinationis sine licentia Pontificis emitte possit.
- 3 Fugiat Episcopus si specialiter queritur tralati salus.
- 5 Cardinalis tenetur residere in Ecclesia sibi intitulata.
- 6 Episcopus, etiam si sit senio confectus, vel infirmus, an destitui possit.
- 7 Aliqua circa materiam coadiutoris. & num. 10.
- 8 Episcopus nolens coadiutorem habere, an & à quo cogi possit.
- 9 Beneficia vtrum per coadiutorem conferri possint.
- 11 Per quem, ad cuius instantiam, & ex quibus causis detur coadiutor Ducibus, Baronibus, & alijs iurisdictionem habentibus? Ad quid postea teneatur, & facere possit.
- 12 In canonizatione sanctorum, vtrum Ecclesia errare possit.

E 5

3 Quando

- 13 Quando liceat beneficia ecclesiastica appetere, & procurare.
- 14 Parochia dicitur beneficium non plenè curatum.
- 15 Cura animarum est ars artium.
- 16 Petere, aliqua circumstintia eget, qua non eget appetere.
- 17 Animarum cura solo Episcopo data est, solus ipse enim Ecclesie sponsus est.
- 18 In beneficio residentiam de iure requirenti (salua tamen rationabili causa) non residere, peccatum est.
- 19 Qui parvipendit, quæ maxima Christi sunt, amor eius apud eum non est.
- 20 Ad eligendum Pastorem ecclesiasticum in foro conscientie, quæ, & quot conditiones requirantur.
- 21 Prelatus minus idoneus, gratus tamen omnibus, præfertur magis idoneo, & minus accepto.

Episcopus ¶ debet in sua cathedrali ecclesia residere. i. in loco, ubi est ecclesia. c. Episcopus, de consecrat. dist. iij. & diebus festis dominicalibus debet interesse diuinis officiis in sua ecclesia, vt in d. c. Episcopus. Nec potest per diocesim vagare, nisi causa visitationis, vt in c. placuit. 7. q. j. & c. placuit. x. q. j. seruato, quod dicitur de cõse. dist. iij. c. Episcopus: & vide Panor. in c. magnæ, de voto, dicentem, quod sine consensu Capituli Episcopus non potest emitteere votum peregrinationis, quod tenet ibi etiam Innocentius, cum hoc sit negotium magnum. not. in cap. quanto, de his, quæ fiunt à prelat. Notat ibi etiam Panor. Episcopum ¶ non posse emitteere votum longæ peregrinationis sine licentia Papæ; secus autem ubi peregrinatio nõ esset longa. Et ex illo tex. etiam notatur, quod Episcopus non potest sine causa se absentare ab Ecclesia sua. & dicit Hostien. a libi non ita bene probari. Sed ego adduco meliorem text. in c. Episcopus, de consecr. dist. iij. ubi tex. dicit, quod cessante infirmitate non debet Episcopus, saltem diebus dominicis, abesse ab ecclesia sua. Et nota singulariter illum textum iuncta glos. sua, quod Episcopus tenetur diebus dominicis, & solennibus interesse officiis ecclesiæ suæ, ita Panormit. Itaque Episcopus non debet relinquere propriam cathedram, nisi ex causa hospitalitatis, vel pestis, vt in

e. temporis, vij. q. j. vbi legitur, quod necessitate temporis episcopatum sedium mutationes fieri possunt. Et episcopalis dignitas in maioribus populis presidere debet, vt in c. j. de privilegijs, ne honor episcopalis vilescat. Sed t si specialiter Prælati salus queritur, fugiat Episcopus, exemplo Christi, & exemplo Pauli, vt in c. aduersitas, vij. quæst. j. dum per alios firma est salus ecclesiæ. Cum verò non prælatorum tantum, sed totius ecclesiæ salus queritur, & fides impugnatur, necesse est, vt in die belli seipsos, vt murum, opponant pro domo Domini, & animas suas ponant pro ouibus suis, vt exemplo suæ passionis accendant, quos sermone doctrinæ diutius confirmare non valent, vt in d. cap. aduersitas, vij. quæst. j. vbi de hoc. & ibi vide tex. in c. hoc nequaquam, vbi legitur, quod Episcopus, qui causam humilitatis monachus efficitur, ad Pontificatum redire non valet: beata enim perseverantia in eo non est, vt in cap. suggestum, vij. quæst. i. Et quando liceat prælati subditos deferere, vel non, vide text. notabilem in c. fin. vij. quæst. j. vbi dicit litera: Ibi adunati æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniuntur aliqui, quibus adiunguntur boni.

Et de residentia Episcopi vide sanctum Thom. in secunda secunda q. clxxxv. & ibi Cardinalem doctissimum dicentem, quod Episcopus tenetur ex præcepto diuini iuris ad residendum personaliter in suo episcopatu, licet sit secretarius sedis Apostolicæ, vel auditor Rotæ, vel consiliarius Regis: quia non ideo excusantur à residentia, & sunt tales in ecclesia Dei, velut monstra in natura. Dicit etiam ibi, quod Episcopatus, & Cardinalatus sunt de numero incompatibilium de iure. allegat rex in c. bonæ memoriæ, i. de postula, præla. Quicquid sit de consuetudine, quæ abusus potius appellanda est, debet residere in ecclesia sua, saltem in festo Natiuitatis, Epiphaniæ, Paschæ, & Pentecostes; alias à cōmunionē suspenditur triennio. c. si quis in clero. vij. q. j. sed non est in vsu. Et t Cardinalis tenetur residere in ecclesia sibi intitulata: & de rigore, si monitus non resedit, est deponendus, vt not. in c. existis, de cler. non resid. ibi, Cardinalis sancti Marcelli ob nō residentiam.

fidentiam in synodo priuatus fuit dignitate sua admoni-
 tione precedente, licet Cardinales sint pars corporis Pa-
 pæ, & Papa cum eis iudicet totum orbem, & sint in quasi
 possessione, vt Papa non iudicet ardua, nec explicet sine
 6 consilio Cardinalium. Et † propter infirmitatem, vel se-
 nium non destituitur Episcopus, sed datur ei coadiutor,
 vt in c. scripsit. vij. q. j. vsque ad c. sicut vir. §. ecce. & c. qua-
 liter, & c. quamuis sit, & c. ecclesiæ, de supplen. negligen.
 prælat. Et Episcopus potest fieri solo verbo. Papæ citra ali-
 quas literas; non tamen potest ille se gerere pro Episco-
 po, nisi ostendat per literas: ita Panorm. in c. in nostra, de
 rescriptis. Et Episcopus sine capitulo, vel è conuerso, non
 habet potestatem in iurisdictionibus, nisi præscripserit, ita
 7 Panorm. in c. cum inter. de consuetud. † Et, vt ad materiam
 coadiutoris redeamus, dicitur in c. nisi eum pridem, de re-
 nunc. quod debet dari coadiutor cuiunque prælato, qui
 non potest suum officium exercere. vij. q. j. quasi per totū.
 Dicitur etiam in c. venerabilem, de offi. deleg. quod dila-
 pidanti bona ecclesiæ datur coadiutor, qui habeat liberam
 administrationem; excepto, quod non potest alienare, vt
 8 patet in c. vno, de clerico ægrotante, lib. vj. † Quid si Epi-
 scopus nolit habere coadiutorem, dico, eum cogendum
 per superiorem, argum. ff. de minor. l. ait. §. j. Vnde cum
 Episcopus grauatus noller assumere coadiutorem, licet à
 capitulo requisitus sit, nihil per capitulum innouandum
 est; sed capitulum significet Papæ conditionem Episco-
 pi, & ecclesiæ. Et sic inuito Episcopo datur (vt dixi) vt in
 c. audientiam, de ecclesiæ adif. no. etiam de cler. ægro. c. pe-
 nul. tener glo. & docto. in c. vno. de cler. ægro. lib. vj. tenet
 etiam Archid. in d. c. sicut. §. ecce. Et à solo Papa est dan-
 dus coadiutor Episcopis, & prælati, vt in d. c. vno. vbi le-
 gitur etiam, quod si Episcopus officium suum nequeat
 exercere, possit de consilio, & assensu capituli sui, vel ma-
 ioris partis vnum, vel duos coadiutores assumere. Sed si E-
 piscopus demens fuerit factus, tunc capitulū, vel duæ par-
 tes eiusdem autoritate Apostolica assumant vnum, vel
 duos idoneos coadiutores, qui eius officium exequantur:
 probatur etiam hoc in d. c. vno. Et de demento, & amente,

& furioso diximus late in c. lxx. vbi tractauimus late de furioso, & demente. Sed ꝑ coadiutor non potest beneficia conferre, vt per docto. in d. c. vno. Si vero coadiutor est datus dementi (vt dixi) tunc beneficia confert; non obstante decretali vltima de officio vicarij; quia loquitur in casu, quo posset retardari ecclesiæ prouisio: quod esset nimis absurdum. Sed propter negligentiam ab administratione non remouetur, sed coadiutor datur. c. grandi, de supplen. da negligentia prælatus, in vj. & ibi docto. & vide Hostien. & Gostre. in summa, in tit. de supplen. negligentiæ prælatus, s. negligentia prælatorum. Et de istis coadiutoribus vide Rubr. C. de curato. furioso. De tempore, quo spirat officiũ coadiutoris, dic, quod mortuo illo, cui datus est, vt in d. c. grandi, de supplen. negligentiæ prælatus. Et dixi, quod propter infirmitatem, vel senium non destituitur Episcopus. ratio colligitur ex c. sicut, vij. quæst. j. vbi litera dicit: Sicut alterius uxorem nec adulterari ab aliquo, aut disponi, nisi à proprio viro, eo viuente permittitur; sic nec vxor Episcopi ecclesiæ, eo viuente, absque eius consilio, & voluntate alteri disponi non conceditur, quia electus in Episcopum per consensum sponsus ecclesiæ efficitur etiam ante consecrationem. c. inter canonicos, de elect. Et aduerte, qd Episcopatus est vnus: ex quo si aliquis promouetur in Episcopum alicuius ecclesiæ, cõtrahitur coniugiũ spirituale inter Episcopum, & ecclesiã vniuersalem, quæ vnica est; & matrimonium particulare inter Episcopum, & ecclesiã particularem. Hinc est, quod si talis promotus ad ecclesiã particularem, renunciaret ecclesiæ particulari, remaneret tamen ligatus matrimonio contracto cum ecclesiã vniuersali: vt probatur in cap. inter corporalia, de trans. Episc. ꝑ An vero in collatione beneficiorum, & in alijs requiratur consensus coadiutoris, dicit Oldra. in consil. xliij. Aut datur coadiutor alicui sanæ mentis existenti, puta propter certam causam, vt ob timorem dilapidationis; & tunc exercitium illius causæ, propter quam datus est coadiutor, non erit sine consilio, & assensu coadiutoris, vt extra, de offi. & pote. deleg. c. venerabile: Sin autem propter mentis alienationem, & nimiam senectutem, vel infir.

infirmis datur coadiutor, videtur habere in spiritualibus, & temporalibus generalem, & liberam potestatem, vt vij. q. j. cap. j. ibi no. & c. quamuis sit tristi. & c. petilli, & c. quia frater, & extra de supplen. negl. prelat. & c. grandi, lib. vj. Et quod faciet, non faciet nomine Episcopi, vel constituentium eum; sed nomine ecclesie, vt not. Inno. extra de procura. c. consulti. ad fin. vlt. glol. Et ex quo habet generalem, & liberam potestatem, potest illa, de quibus habetur in c. is cui, de elect. lib. vj.

Item queritur, nunquid in collatione beneficiorum requiratur consensus coadiutoris, vel eius consilium? Et quis faciet commissiones, & quis scribet, & dabit literas, & sub quo sigillo, & cuius nomine? Ad hæc omnia hic quesita patet responsio per superius dicta, excepta collatione beneficiorum, quæ non videtur ad talem coadiutorem pertinere, vt arg. extra, de supplen. negl. prelat. lib. vj. c. ecclesie. §. fin. & not. per Archid. extra, de cler. agrotante. c. pastoralis, libro vj. Sed hoc non videtur posse stare; quia si habet generalem, & hoc etiam posset: vt notatur late secundum doctores in d. c. is cui. Præterea si ponatur Episcopo continuum mentis exilium patienti datum coadiutorem, si coadiutor providere non possit, diutius vacabunt ecclesie: quia nescitur, quando respiciat Episcopus, vel moriatur, vt C. de vsufr. l. ambiguitatem, Et ideo illo casu hoc sibi licere videtur, argum. ff. de administ. tut. l. inter bonorum. Si verò esset talis senectus in causa dandi coadiutorem, quæ mentis exilium non induceret, sed ad exteriora, quæ solius facti sunt, eum redderet impotentem, quia sepe accidit, quod senectus, & infirmitas virtutem cordis augmentant, vt extra de renun. literas. & c. nisi cum pridem. & ff. de cap. & possim. reuer. l. possimini. §. si tunc; collatio tunc non videtur pertinere ad coadiutorem, sicut nec nuptiæ ad curatorem adulti, vt C. de nup. l. in copulandis. Et sic possunt opin. doct. ad concordiam reduci: & c. pastoralis, in quantum prohibet alienationem, intelligitur in voluntaria alienatione; collatio enim beneficiorum est necessaria. Inter hoc enim multum refert, vt ff. fa. hercis. l. alienationem, cum simil. Et coadiu-

308 Episcopi, vel sacerdotis potest esse religiosus, Cardin.
 in Clemen. j. de regular. Et coadiutor ducibus, & baro- 12
 nibus, vel alij iurisdictionem habenti per quem detur, &
 ad quorum instantiam, & ex quibus causis, & quid pos-
 sit facere, & ad quid teneatur, vide plenè in speculo in ti-
 tulo de feudis. §. quoniam. Et coadiutor dari debet in quo
 administratori. c. grandi, de supplen. negl. præl. glo. in c.
 ad Apostolicæ, de re iudi. in vj. Dari debet etiam coadiu-
 tor tutori impedito. l. solet, & ibi Barto ff. de tute. & in l.
 si præses. C. quom. & quando iudex. Solet t̄ dubitari, v. 12
 trum ecclesia possit errare in canonizatione sanctorum:
 in quo vide glo. in c. vnico, de reliquijs, & venerat. sancto.
 dicentem, quod accidere potest, sed non est credendum.
 Beatus Thom. pulchrè in Quodlibeto ix. art. vlt. prout re-
 fert Cardina. san. Sixti in tractatu de potestate Papæ. q. lj.
 dicit, quod Papa non potest in hoc errare, quia diuina
 prouidentia ecclesiam suam dirigit spiritu suo sancto, vt
 non erret. secundum quod promissit Ioannis xliij. Spiri-
 tus docebit vos omnem veritatem, &c. Et si argueretur in
 contrarium, nullus potest esse certus ita de statu suo, sic-
 ut ipsemet: quia quæ sunt hominis, nemo nouit, nisi spi-
 ritus hominis, ad Corinth. j. Sed homo non potest certus
 esse de seipso an sit in statu salutis, Ecclesiastici ix. Nescis
 homo vtrum dignus sit odio, vel amore. Ergo minus Pa-
 pa de illo, quæ canonizare intendit, Respondeo, quod ipse
 Papa informatur testibus, vt hic concurrente inspiratio-
 ne spiritus sancti, qui omnia scrutatur, etiã profunda Dei.
 Similiter si diceretur, qui vtitur medio fallibili, potest er-
 rare, sed ecclesia vtitur testimonio hominum circa opera
 miraculorum, vt hic, & illud est fallibile; ergo ecclesia po-
 test errare. Respondeo, quod Deus præseruat ecclesiam,
 ne in talibus per fallibile testimonium hominum falla-
 tur. Aliqui dicunt etiam sustinere posse opinionem glo-
 sæ in d. cap. vnico, quod ecclesia in hoc errare possit. Et si
 diceretur, ecclesia errare non potest. c. à recta, vbi nunquā
 errasse probatur. xxiiij. quæst. j. respondent, quod illud de-
 bet intelligi, quod non potest errare in fide, seu articu-
 lis fidei: nam hoc tantum orauit Christus ad patrem: Ego
 pro

pro te orauit Petre, ut non deficiat fides tua: sed in occultis ecclesia etiam vniuersalis errare potest: quod eleganter declarat do. Abb. in c. à nobis, de sentent. excommun. per illum tex. vbi ecclesia potest errare ligando non ligandum, & absoluendo: quia non potest de occultis certitudinaliter iudicare. c. vnico, vt eccles. beneficia; Sed in talibus sequitur iudicia & opinionem, & ista sunt fallibilia. Et si diceretur, iudicium ecclesie confirmat se iudicio Dei, dict. cap. vnico, sed Deus non errat, ergo nec ecclesia; respondens, quod confirmat se in quantum potest, sed aliquando non potest, vt in occultis. & istam partem tenet Felin. in cap. venerabili. de test. Vbi etiam dicit, quæ sint probanda antequam sanctus canonizetur. Sed opinio sancti Thomæ amplectenda est, quia spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines; Petrus in canonica, &

¹³ rationibus eius refragari non potest. Sed ¶ dicamus, quando ecclesiastica beneficia appetere, & procurare licitum sit, vel non. Beneficium ecclesiasticum considerandum est primo, quo ad ingressum tam de appetitu, quam de procuracione. Appetere siquidem ecclesiasticum beneficium siue curatum, siue absque cura, nullum ex suo genere peccatum est, quoniam huiusmodi obiectum est intra ordinem appetibilem recta ratione: & propterea Apostolus absolute dixit: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Peccatum autem contingit ex defectu alicuius circumstantiæ requisitæ, puta quis, cur, quomodo, &c. Et quoniam frequentissime secundum primam circumstantiam in huiusmodi appetitu peccatur, ideo Apostolus statim subdit de circumstantia, quis, apponendo condiciones requisitas ex parte personæ ad rectum appetitum Episcopatus, dicens: Oportet autem Episcopum esse irreprehensibilem, &c. Et quoniam peccata ex parte circumstantiarum facile patere possunt applicanti ad subiectam materiam, nos ad specialia descendendo dicimus, quod beneficium plene curatum (quale est Episcopatus) tunc tantum ex parte personæ licite appetitur, quando appetens nouit se habere condiciones requisitas ad Episcopum: &

²⁴ similiter non plene curatum, quale ¶ parochia est, quum

quis habet condiciones requisitas ad presbyterum parochialem, & sic de alijs. Et hoc cōcurrentibus etiam ex parte personæ alijs circumstantijs comparatiuis debitis. Vbi scito, quod persona appetens debet seipsam mensurare per respectum ad tria, scilicet ad regimen animarum, ne presumptuose ad artem artium relatum se inueniat; & ad opes, quibus pascendis vacaturus est, vt tantum distet vira sua ab illis, quantum vita pastoris à grege; & ad alios, quibus tribui potest, aut debet tale beneficium, ne se dignioribus, aut æquè dignis anteponat. Et hic tertius respectus habet locum etiam in appetitu beneficiorum sine cura: debet enim secundum rectam rationem appetitum sic moderari, vt absque vitio acceptionis personarum appetat sibi prouideri de beneficio communi, vel hoc. De circumstantia quoque finis aduertendum est, ne beneficium appetatur propter finem malum, puta propter delicatam, & opulentam, aut splendidam vitam ex Christi patrimonio, &c. Discernere autem inter peccatum mortale, & veniale in inordinato appetitu beneficij non est difficile, præsertim si beneficium est curatum, & maximè si est perscctè curatum. Nam si appetens paruifacit commensurare seipsum ꝑ ad artem artium, hoc est, curam animarum, & alias commensurationes postponit ob appetitum beneficij proculdubio mortale peccatum incurrit: quia contra charitatem ouium Christi appetitur, si beneficium est curatum: & contra iustitiam distributiuam saltem appetitur, si beneficium non est curatum. Intellige lector, quæ dico: nam si quis appetit simplici intentione beneficium communiter, aut sine cura, non cogitans de dignioribus se, non peccat: quia subintelligitur, quod appetat habere licitè. In hoc autem, quod est habere licitè, includitur, quod detur sibi sine Dei offensa. Et similiter, si quis cogitat de dignioribus se, & non intendit illos impedire, sed pro seipso procurare, vt habeat licitè, non peccat, eadem ratione: potest enim contingere, vt superior sanctè det illi, qui minus dignus videtur; & est absolute propter aliquas circumstantias singulares tunc occurrentes efficiens, vt dignior pro nunc postponendus sit. Beneficium

F

autem

autem quodcunque pro se petere, aut procurare, eiusdem
 moris est, cuius est appetere illud. Et propterea, quando
 appetere est damnabile, petere quoque damnabile est. E-
 get tamen aliqua circumstantia petere, qua non eger ap-
 petere: quia petere est actus exterior, qui potest scandalis-
 zare, & propterea eger maiori rectitudine. Et scias, quod
 a doctoribus petere regimen animarum ideo damnatur,
 quia vix possibile est, ut homo integritatis, & recte men-
 tis reputet seipsum habere supradictos tres respectus per-
 sonales, sine quibus petere simpliciter, & absolute, est
 presumptuosum, ac per hoc indignum reddit petentem.
 Dico autem simpliciter, & absolute, quia tam appetere,
 quam petere secundum quid (hoc est, si superiori videtur
 expediens, & cognoscendo quis se indignum, cum tre-
 more committendo negotium Deo petat, vel appetat pro
 honore Dei, & salute ecclesie) non est pernitiosum, quam-
 vis sit veniale, nisi charitas moueat: quoniam hoc non est
 petere, sed offerre se, si opus est. Et si charitas verè mouet,
 meritorium est, sicut Elías: Ecce ego, mitte me. & Mar-
 tianus: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non
 recuso laborem. Memento quoque non versari in magno
 periculo, qui indigens, & idoneus cum tremore, & car-
 se offert petendo secundum quid beneficium vacans cum
 cura animarum imperfectè, puta parochiam: t quia cura
 animarum proprie, & plene solius Episcopi est, in cuius fi-
 gnum ipse solus sponsus est ecclesie, & non potest eccle-
 siam deserere eundo ad religionem: reliqui enim sunt ad-
 iutores Episcopi ad curam animarum. Contingit autem
 (utinam non sæpe) appetentibus, & petentibus benefi-
 cia procuratio simoniaca per munus, à lingua, vel ab ob-
 sequio: de quibus inferius patebit, quum de simonia di-
 cetur. Beneficium ecclesiasticum secundo considerandum
 quoad progressum est, quantum ad seruitium personale,
 & quantum ad prouetus. In t beneficio siquidem de iure
 requirente residentiam, peccatum est sine rationabili cau-
 sa non residere. Et si beneficium est curatum, non reside-
 re absque rationabili causa, peccatum communiter mortu-
 le est, pro quanto damnum infert animarum, nisi propter
 impetu

imperfectiōnem actus excusetur à mortali: infert enim
 contrarium naturali iustitiæ, qua tenetur ipsemet ex sus-
 cepto officio gerere ouium Christi curam, quæ regulari-
 ter sine residentia non potest haberi, vt debet: quum eti-
 am præsentes, & sollicitè studentes circa animas vix re-
 gant, vt tenentur. Iniustitia enim ex suo genere mortale
 peccatum est, quamuis propter imperfectiōnem actus sit
 quandoque veniale. Est etiam contra debitam charitatē
 Christi: † Nam amor eius non est apud eum, qui parui-
 pendit, quæ maxima sunt Christi, salutem scilicet anima-
 rum sibi commissarum. Etenim experientia testatur, quā
 malè se habeant in spiritualibus, & in temporalibus eccle-
 siæ Christianæ propter absentiam pastorem: antiquū pro-
 uerbiū est, tam quod oculus domini impinguat equum,
 quā quod optimum simum vestigia domini sunt. Excusa-
 re tamen potest absentiam sine rationabili causa à mor-
 tali imperfectiō actus, vel paruitas damni, & si quid est hu-
 iusmodi. Et de residentia sacerdotij, quia multum inter-
 est Christianæ religioni, multoties diximus in isto libro.
 Dixi etiam in c. v. quibus virtutibus debet polleere eligen-
 dus in prælatum: nunc † adde ad dictum c. v. & dic, quod
 electio ecclesiastici pastoris debet in foro conscientiæ fieri
 de homine habente duas conditiones. Prima est, quod sit
 bonus, hoc est, sine peccato mortali: propter hoc enim
 Dominus ter Petrum interrogauit, si haberet charitatem.
 Secunda est, quod sit melior cæteris cognitis, qui possent
 eligi, & haberi. Melior autem, non quantum ad bonita-
 tem vitæ, sed quantum ad regimen illud, nunc & hic re-
 spectu talium ouium, & reliquis particularibus occurren-
 tijs pensatur. Exiguntur autem in tantum ambæ conditio-
 nes, vt neutra earum possit scienter omitti sine peccato
 mortali. Scienter autem dico, hoc est, secundum consci-
 entiam eligentis: tenetur enim, eligens, si absque peccati
 mortalis incurfu vult eligere, tenere secundū suam consci-
 entiam, quod ille, quem eligit, sit in gratia Dei, & quod
 sit ad tale officium in hoc loco, hoc tempore, & cæter. me-
 lior omnibus, quos nouit posse haberi pro tali cura. Et
 ratio primi est, quia existens in peccato mortali, est in-
 dignus

dignus praelatione ecclesiastica, utpote non diligēs Christum super omnia: ac per hoc impotens pascere Christi oves ~~ex tua vita~~; quod præcipuè exigitur in pastore. Ratio secundi est, quia postponere meliorem minus bono in huiusmodi non est sine crimine acceptionis personarū, dum ²¹ persona præponitur causæ. Prælati tamen minus idonei, gratus tamen omnibus melior est illis, quam prælati magis idonei, minus tamen illis accepti: quoniam ubi charitas coalescit, hic periculum operadi, &c. Unde Paulus Apostolus, quales debeant pastores eligi, describens ad Titum, & Timoth. nunquam meminit conditionis comparatiuæ, scilicet quod sit ceteris magis dignus: sed tantum conditionum positiuarum, quæ requiruntur ad hoc, quod sit idoneus Episcopus: quia tunc Episcopi non beneficium, sed officium habebant: & quia ad id, quod est per se, respiciebat Apostolus. Ex quibus patet, non esse in suo genere peccatum mortale postposito digniore eligere verè dignum in ecclesiasticum pastorem: quia ex ijs, quæ sunt per se iudicando, sufficit eligere sufficientem ad onus tale spiritale, & ad dispensandum temporalia: quoniam secundum veritatem etiam ad onerosum officium respectu temporalium eligitur consequenter.

DE ORDINATIONE, ET CONSECRATIONE Episcopi. Cap. X.

S V M M A R I V M.

- 1 Electus in episcopum à quo debet ordinari.
- 2 Electus in episcopum longa probatione vitam suam notificare debet.
- 3 Secundum primitiuam ecclesiam, solus diaconatus & presbyteratus erat sacer ordo.
- 4 Sacer ordo habet annexum castitatis votum.
- 5 Laici an in prælatos eligi possint.
- 6 Ultra tres menses episcoporum ordinatio differri non potest in consecratione.
- 7 Episcopus non dicitur ante consecrationem: & de forma consecrationis.